

## C A P V T   X X X V I I .

*De Operatione proportionum.*

**P**roportio est daarum quantitatum eiusdem generis inuicem certa ratio ut dixit Euclides: est autem duplex æqualitatis quæ simplex, & inuariabilis semper est veluti 5. ad 5. & diametri ad diame trum: inæqualitatis duo sunt genera, rationale, & irrationale, dicitur autem proportio rationalis, quæ numeris designari potest: vt 7. ad 5. at irrationalis quæ non potest: vt diametri ad costam: irrationalis autem sunt duo genera: maioris, & minoris, majoris ut diametri ad costam, minoris è conuerso, sunt autem lineaæ de quibus loquitur. Euclides 6. binomia, & totidem residua, duo binnedia, & duo residua, linea major, & minor, potens in rationale & mediale, & potens in duo media, cum suis residuis, quare erunt 22. & medialis, & irrationalis in potentia, & irrationalis in actu tantum, & rationalis, quare omnes erunt 26. lineaæ, de quibus in decimo Elementorum scriptum est, deinde linea diuisa secundum proportionem habentem medium & duo extrema, igitur cum sint 27. lineaæ, quæ comparantur secundum proportionem irrationalis erunt 26. proportiones secundum progressionem ab una incipientes, quare per primam regulam 27. capituli, erunt proportiones irrationales 351. & totidem conuersæ, quare omnes sunt 702.

**2** Rationalium vero inæqualium duo sunt genera maius, & minus maius ut 8. ad 4. minus è contra ut 4. ad 8. maioris autem species sunt quinque, tres simplices & duas compositæ, minoris totidem eis oppositæ, sunt igitur maioris simplices multiplex ut 12. ad 4. superparticularis ut 12. ad 9. superpartiens ut 7. ad 5. his iunguntur multiplex superparticularis ut 14. ad 3. his opponuntur species minoris inæqualitatis ut submultiplex quæ est 4. ad 12. multiplici, & subparticularis ut 9. ad 12. & subpartiens ut 5. ad 7. & ita in omnibus dicitur multiplex cum terminus terminum multotiens continet & nihil vltra: superparticularis cum portionem vnam quæ est pars quota contenti veluti 12. continet 9. & 3. qui est tertia pars de 9. & superpartiens cum continet partem quæ non est quota, ut 7. continet 5. & 2. vltra qui non sunt pars proportionalis de 5. per idem intellige reliquos duos modos cum quinque conuersis veluti superpartiens multiplex, est cum totum continet partem multotiens, & vltra partem non quotam: veluti 14. continet 3. quater, & vltra hoc 2. qui non sunt pars quota de 3.

**3** Numeratio autem in talibus fit quemadmodum in fractis superponendo numerum numero veluti tripla est ut 3. ad 1. & ideo sic scribitur  $\frac{3}{1}$ : & ita subtripla è conuerso, veluti 1. ad 3: sic  $\frac{1}{3}$ : & ita sexquialtera, ut 3. ad 2. sic  $\frac{1}{2}$ , subsexquialtera ut

2. ad 3. sic  $\frac{1}{3}$ : ex his pro operationibus nota quinque regulas.

Prima regula in quinque operationibus 4 quæ sunt numeratio, multiplicatio, diuisionis, progressio, & radicum extractio, tam in rationalibus quam irrationalibus: operatio fit quemadmodum in fractis, vnde numeratio fiet sic  $\frac{1}{1} \frac{2}{2} \frac{3}{3} \frac{4}{4}$  sive: æqualitatis, dupla, tripla, quadrupla, & sic deinceps: multiplicatio quadrupla in quintuplam sic  $\frac{4}{5}$   $\frac{20}{25}$ . & ita reliquis, per modum fractorum.

Regula secunda in additione, & subtractione, diuersificati sunt Auctores, nam campanus, & frater Lucas, credunt additionem esse multiplicationem, & diminutionem diuisionem, creduntque Euclidem hoc voluisse, maximè cum dixit quod omnium superficierum similium, proportio unius ad alteram, est composita ex proportione laterum sive duplicata, vnde in textu Græco In vigesima sexti diplasiona posuit. Alexander autem achilius & volumnius, & alij, volunt esse rem distinctam, vterque verum dicit, nam cum comparata fuerint proportiones tantum, ita ut cadat terminus in medio, tunc compositio non est nisi multiplicatio, cum vero termini proportionis ad terminum comparantur fit additio exemplum, si propor- a. b. c. tio a ad b & b ad c inuicem 4. 3. 1. componuntur tunc talis compositio non est nisi multiplicatio, & fit proportio quadrupla, sed si a & b vterque ad c comparetur tunc fit additio & consurgit proportio septupla, & hoc est quod consequitur in rebus naturalibus: nam si aliquis moueat nauim à proportione tripla per se, & superueniat tali mouenti aliis motori qui per se moueret nauim in quadrupla proportione, tunc ambo iuncti non in quadrupla cum iam per se ita moueat, sed in septupla mouebunt proportione, cum igitur talis modus sit in re, modum inuenire oportet in computatione correspondentem, & hic est præcisè additio vel diminutio fractorum, de quibus in superioribus, vnde si volo addere quadruplam triplicæ sic constituo,  $\frac{4}{1} X \frac{3}{1} + \frac{7}{1}$ : In diminutione  $\frac{4}{1} - \frac{7}{1} + \frac{3}{1}$ .

Causa erroris est quod Euclides, & Alchindus In proposito non assumunt duas proportiones, sed tantum vnam continentem duas in virtute duorum terminorum illi vero assumunt tres terminos & ita duas proportiones, vnde super illo dicebat Alchindus omnis extremorum proportio dicitur composita ex omnibus intermediis, intelligit compositionem quæ est multiplicatio. Euclides autem duplicatam & triplicatam dixit vnde correctius locutus est, sed de his nimis.

Regula tercia omnis proportio marioris inæqualitatis ducta in suam conuersam producit proportionem æqualitatis igitur diuisâ proportione æqualitatis, exit semper conuersa, vt diuisa proportione æqualitatis per sexquartiam, exit subsexquartia.

Regula quarta cum volueris inuenire ali- 7 quid in numeris surdis vel denominatis, vel proportionibus, aut operationem aliquam operare illud in integris cognitis, & faciliter videbis